



Vitigis humili loco natus, uerum insigni corporis & animi fortitudine præditus fuit. Itaque Ostrogothi eum in rebus periculoſiſtimis ſibi regem creant, atq; Theodatum repudiant. Propterea Vitigis aſſumpto regno Optarim cum expeditiſimo equitatu cōtra Theodatum milis, is Theodatum Rauennam festinantem aſsequitur & interfecit. Atq; hac ratione desidiosus rex meritas pœnas luit, ob Amalafuntham Theodorici Veronensis filiam, prudentiſſimam reginam interfectā. Postea Vitigis Romam ingressus, Sylueriū pōtificem Senatum, & populū Romanum multis uerbis eſt adhortatus, ut in fide perſeuerarent, testatus Gothos hactenus plurima beneficia Romanis contuliffe. Theodorici etiam optimi regis memoriam iſpis inculcauit, ita ut ſi grati eſſent, merito omnia Gothorum nomine præſtarent. Postea quatuor millibus Gothis ad urbis præſidium relatis, ipſe Roma profectus eſt, ut quicquid Gothorum in Italia eſſet, in unū contraheret. Quam pŕimum uero Rauennā peruenit, Mathaluntham, Amalafunthæ filiam & Theodorici neptem, ſibi matrimonio iunxit. Cum autem regia puella eius ignobilitatem aſpernaretur, ipſe maximo apparatu nuptias celebrauit, ut uirginis animum præſenti moerore leuaret. Nihilominus tamen contra Cæſarianos bello comparando intentus erat, & undiq; copias, arma, & equos colligebat. Dum haec alibi fiebant, Belisarius Iustiniani Imperatoris dux ex Neapoli Romanam peruenit, & Romanos ad defectionem ſollicitauit, à quibus etiā magno studio in urbe acceptus. Vnde eodē die cum Belisarius per Aſinariā portā ingrederetur, Gothi per Flaminiam ſub fide publica egrediſi ſunt. Postea Belisarius ad finitimas urbes recipiendas ſuos duces emiſit, atq; ipſe Romanam ualidis fossis, & propugnaculis munivit.